Оссолінські колекції.

CD – диск виконано в рамах угоди укладеної з квітня 2004 р. між Львівською науковою бібліотекою НАН України у Львові і Національним Закладом ім. Оссолінських у Вроцлаві.

Lwowska Naukowa Biblioteka im. W. Stefanyka NAN Ukrainy. Oddział Rękopisów. Zespół (fond) 5.

RĘKOPISY BIBLIOTEKI ZNIO

2321. Artykuły pokoju wieczystego między królestwem Szwecji a wielkim księstwem moskiewskim 1610 r. *XVII w. K. 12.*

STRONY NIEZAPISANE NIE ZOSTAŁY ZDIGITALIZOWANE

ЛЬВІВСЬКА НАУКОВА БІБЛІОТЕКА
ім. В. СТЕФАНИКА АН УРСР
ВІДДІЛ РУКОПИСІВ
Фонд 5
ОПИС 1
Од. зб. II, 2321

CCIX.

Titulus huius MSS. videatur
statim. Instrumento a capite
posito. transcripto Acta sunt
Procancellariatus Jacobi Ja-
srik in A: 1626, 27, 28.

l. inw. 2321. Litt. A

Articuli pacis perpetuæ inter Regnum Sueciæ et Magnum Ducatum Moscoviæ conciliatæ.

Quicquid rapinarum, cædium, ac aliarum iniuriarum, maleficio- Primo.
rumve, quibuscunq in locis ac quibuscunq personis his annis
elapsis, post pacis compositionem Tiesinæ Anno 1595.
factam, inter piæ memoriæ Regem Carolum IX Sueciæ
Clarissimum D. Parentem, modernum Regem Gustavum Obliterat[io]
Adolphum, Regnumq Sueciæ; ac inter Prædecessores praeteritor[um]
Russiæ Magnos Duces, præcipuè modernum Magnum
Ducem Michaëlem Fedrowicz, Russiæq Ducatum;
ac inter utrusq Principis Terras, Civitates, Populos,
subditos, commissum ac patratum est, id omne aboleri obli-
teratum, ac per præsentes pro Transacto haberi debet; ita
ut nunquam amplius in perpetuum ab ulla parte iteran-
dum, repetendum, in memoriamq revocandum sit. Quin imo
vigore præsentis pacis contractus, debet imposterum inter
utrumq Principem, eorum Dominia, Terras, Civitates, tam
quæ antiquitus ad utrumq spectant, quam quæ per præsentem pa-
cis contractu restitutæ ac traditæ sunt, pariter etiam inter
illorum subditos stabiliri, confirmari, renovari, ac infallibili-
ter durare æterna pax, et sincera amicitia, sic ut uterq Princeps
unus alteri omne bonum velle, utile tueri, ac quod iustu est exhibere conetur.

INSTYTUT OSSOLIŃSKICH
2321

undo. Rex Sueciæ ultro citroq; at propensione studij erga Magnum Ducem Russiæ propter obtinendam Christianam pacem, at unanimitatem, vigore præsentis pacis Contractus, restituit Arces Russiæ, et Civitates quæ superioribus annis captæ erant, nempe Magnum Novumgardum, Starorussa, Porhava, Lagoda, Angdava, cum ariacen Pagis, at Somerico Dominio. Item omnes Cerkvas, Monasteria, bona Ecclesiastica cum omnibus attinentijs, hæreditatibus, feudis, cæterisq; pagis, at commoditatibus omnibus, illorum proventibus, at iuribus: exceptis Arcibus, Civitatibusq; Regi Sueciæ à Magno Duce vigore præsentis pacis Contractus (prout id infra expresse ponetur) datis.

stitutio per tauum Arci: Duci Moscoviæ

Tertio. stitutio orna: torũ Ecclesiæ

Restituit quoq; Rex Sueciæ Magno Duci Moscoviæ cum prædictis Arcibus, Civitatibusq; quæcunq; ornamenta in S. Sophiæ Ecclesia reliquisq; at in Monasterijs, Novogrodi, alijs Arcibus, Civitatibusq; contenta, cum omnibus rebus quæ intra reperiri possunt. atq; hinc nihil auferre iussit. Item quæ Metropolitæ sunt cum omnibus Ecclesiasticis bonis, proprietatibusq; cum omni Ruthenico populi cuiuscunq; sit status, prædictas Arces, Civitates, Dominia incolente, cum coniugibus, liberis, at omnibus bonis, proprietatibusq. Item

Restitutio libroru et Cancellariæ

restituit quascunq; scripturas, ac libros, ad Cancellariam, forumq; eorum spectantes: item Ruthenicas omnes machinas bellicas, cum omni ad eas pertinente suppellectili seu apparatu, et cum campanis, quæ in prædictis Arcibus, Civitatibusq; proxime præterita die 20 Novembris continebantur post Transactionem uti prout cum Magni Regis Britanniæ Legato.

Legato D. Joanne Mericio constitutum est exceptis tamen ijs campanis quas ipsi Nouogardum post prædictam datam vendiderunt ad conseruandum exercitum, at Nouogardo abductæ sunt. Eæ autem campanæ quas Regius Exercitus at ipse antea accepit, atq abduxit, neq soluit, debent Nouogardianis cum diligenti inquisitione restitui, similiter alias quascumq campanas, quas Regius Exercitus emit, at Nouogrodi existunt, liberum est pro pretio, quod pro illis datum est recuperare. neq deinceps Regius Exercitus ullas campanas Nouogrodi emere potent, aut quopiam alio modo auferre.

Regius Exercitus cum sese prædictis Arcibus, Ciuitatibusq mouebit, non debet ullam violentiam Magni Ducatus Incolis Nouogardi, Stararussa, Porkaua, Lagda, at Dominijs huc spectantibus, inferre, videlicet per rapinas, cædes, etc. vastationes. Multo minus potent Moscouiticum virum, fœminam, liberosq, in partes Sueciæ abducere, aut eorum bona surripere, Sin autem aliqui Suecorum Nationis ibidem quidpiam de bonis suis, in prædictis Arcibus, Ciuitatibusq reliquerint, nec eas unà secum exportare poterint, debet ad ibidem sub custodia bona teneri, penes eum ad quem depositum fuerit tam diu, quamdiu illorum aliquis ipse non venerit, aut alterum cum plena potentia eas res receptum, non miserit, qui liberè, securè, at citra impedimentum admittendus, at rursum, pro sua oportunitate dimittendus erit. Quarto De non infe violentijs gardian non abduc subditi

Prædictis Arcibus, Ciuitatibusq; Magno Nouogardo Stara: Russa, Porkaua, cum eorum Dominijs, at Sommeritis Territorijs Quinto. De tempore tution. Arcis

debent Sueciæ Commissarij in præsentia Magni Regis Britanniæ Legati D. Joannis Mericij, siue eiusdem Regis alicuius Aulici, quem prædictus Legatus ad hoc submisent, Moscouiticis Commissarijs cedere, eaq restituere intra 14 dies, postquam hic Pacis Contractus inter nos utrosq plenarios Legatos, manu, sigillo, ac iureiurando, supra S. Euangelium à nostra parte, at ab altera cum osculo Crucis roboratus, et conclusus erit.

Sexto. Arce Lagda.

Arce quoq Lagda cum suo Territorio Sueciæ Regis Commissarij in præsentia Magni Regis Britanniæ Legati, Magni Ducis Moscouiæ Commissarijs cedere, intra tres hebdomadas, post hanc pacis Conclusionem, atq eam restituere cum omnibus Autsenis eorumq bonis, item omnes Moscouiticas machinas belli; Regq Sueci Moschos inde abducent, aut ijs iniurios erunt, neq prædicta tormenta exportabunt, eorumq metallum. Au-

Augdaua

gdaua verò cum Territorio, populoq debet penes Regem Sueciæ esse tanto tempore, quoad præsens pacis Transactio ab utroq Principe scripto proprio, cum Sac. R. Mttis Regniq manu, et secreto sigillata; prout etiam Regis iuramento, ac Magni Ducis Crucis osculo ratificata ac roborata non fuerit, finesq legitimè positi ac distincti, Legati ab utroq Principe in hoc negotio mittendi, apud utrumq Principem non fuerint, ac cum bene ordinatis, confectisq rebus in confinia non redierint. Tunc demum Regis Commissarij 14 diebus elapsis debent cedere

Angdaua

Angdauâ Magni Ducis Commissarijs ad eandem Arcem territoriumq recipiendum, Pleszkouâ expediendis; eamqz restituent cum omnibus Moschouiticis machinis ac populo, cum suis bonis proprietatibusq. Quamdiu verò eadem Arx Angdaua penes Regem manebit, debebunt Angdauam, ac Territorij populus incolaeq Regi debitum tributum pendere, seruitiaq praestare, ad sustentationem Exercitus, qui ibidem ad Arcem erit, uti antehac praestabatur. interim tamen Regis populus nulla malefficia inferet, nec Moschouiticum populum machinasq inde in suas partes abstrahent, abstrahiq facient.

Non debet Regis quoq Charissimus frater Sermus Princeps D. Carolus Philippus Succorum Gottorum Vandalorum Haereditarius Princeps, Dux Sudermaniae &c praetendere sibi deinceps Arces Magnum Nowogardum, Porkaua, Stara Russa. Lagda, Angdaua, Sommericumq Dominium cum suis omnibus pagis, proprietatibus, ac feudis, nec ea sibi appropriare, oppugnare, aut usurpare. Item populus ibidem uniuersus osculi Crucis quod ei Principi praestitit non amplius recordari. Item Rex debet pro se spondere, suis haeredibus, successoribus Sueciae Regibus, suo D. fratre, praedicto Principe Carolo Philippo non se nec illos aduersus has Arces, Ciuitatesq, tam Exercitum quàm neruum belli unquam suppeditaturos.

Septimo
De cautio[ne]
pro fratr[e]
Gustaui [...]

Magnus Dux similiter pro Regia hac beneuolentia, studijq erga se propensione suo nomine, suorum haeredum omnium Moschouiae Ducatus praecipuè pro Nowogardi Territorio, cessit his infrapositis Arcibus, Ciuitatibus, ac Terris nimirum Iwanogorod, Iama, Coporia, ac Noteburg, cum omnibus subiectis Ciuitatibus, Oppidis, Territorijs, ac attinentibus pagis, cum suis

Octauo.
Dux Mosc[...]
cedit Arcib[...]

iuribus vitatis, ac finium terminis, cum populo istîc habitante
ac reliquis omnibus iuribus, nec vnico excepto, quæ omnia conces:
sit appropriauitq; Ser.mo Potent.mo &c. Regi Gustauo Adolpho
Regniq; Sueciæ ad perpetuam proprietatem fruendum, vtendum
ac tenendum, citra impedimentum, ac Moderni Magni Ducis,
Moscouiæ, Ducatus, atq; Nouogardiani Territorij contra:
dictione, ad perpetua tempora totaliter, et plene, prout
Prædecessores Magni Duces Moscouiæ, præcipuè piæ memoriæ
Magnus Dux Iwan Wasilowicz, eiusq; filius Magnus
Dux Fedro Iwanowicz hæc ante tenuerunt, possederunt,
ipsiq; vti sunt. Nihilominus Monachi cum omnibus ad se

Monacho:
r, Nobilium,
iumq; libera
Arcibus et
rritorijs trans:
gratione

pertinentibus rebus, Nobiles, Ciuesq; in prædictis Ciuitatibus, Oppi:
disq; (prout id intra 14 dies post hunc pacis Contractum
publicabitur) qui in Magni Ducis partes sponte se conferre
volent, liberam potestatem debebunt habere inde migrandi
cum coniugibus, liberis, suâ familiâ, ac omnibus bonis, proprie:
tatibusq; quocunq; in Magni Ducis Arces eis placuerit. Vtq;
id totum Moscouitico populo in restitutis Ciuitatibus, Arci:
busq; notum esse possit, quicquid hic constitutum, contractumq;
fuerit, debent simul, atq; hæc pax inter nos vtriusq; partis ple:
narios Legatos, plenè conclusa, roborataq; erit à Nobis Re:
gis Sueciæ Legatis, ad omnes prædictas Ciuitates, ac Arces
Curieri expediri, eaq; in Magni Regis Britanniæ Le:
gati Deputandorum Aulicorum præsentia palam procla:
mari debebunt, nimirum quod omnes Monachi suiq; adhæ:
rentes cum Nobilibus, Ciuibusq; post 14. in partes Magni
Ducis transire volentibus, debebunt liberum habere inde
discessum

discessum cum suis coniugibus, liberis, familiâ, ac bonis omnibus, quae possident, nemoq eorum contra proprium animum cogi debet, ut illuc remaneat, aut detineri, atq libere, securèq cum suis omnibus bonis ad proximos Magni Ducis fines, ne spolientur aut caedantur, deduci debebunt. Illud tamen expressè definitum, ac conclusum inter nos est, ut Parochi, ac Praesbiteri cum suis agricolis, ex praedictis Territorijs, Ciuitatibusq à Magno Duce Regi concessis, nullam habeant potestatem abeundi, sed cum suis coniugibus, liberis, ac familiâ, ibidem sub Regno Sueciae debebunt permanere. Similiter etiam omnes Nobiles, ac Cives, qui intra 14 non poterunt emigrare.

Praedictus Rex Gustauus Adolphus debet à Magno Duce Michaele Fedrowicz accipere 20000 Rublorum paratorum, seu numeratorum, veri, consueti, currentis, et impermixti argenti Dziegarum, debentq hi Rubli simul atq hic Pacis contractus inter nos conclusus, ac roboratus fuerit, nobis Regijs Legatis, per Magni Regis Britanniae Legatum D. Joannem Mericium dari.

Non. De summa Gustauo praesentan

Machinae, alieq bellicae munitiones, campanae, et caetera quae Rex Sueciae in Moscouiticis Arcibus nactus est, accepitq, anteq Tractatus, à nobis Regis Sueciae Legatis, vnâ cum Magni Regis Britanniae Legato proximè praeterita 20. 9bris conclusis, hinc abducta sunt, debent penes Regem Sueciae manere, sine vlla controuersia, et praetensione. Machinae tamen Moscouiticae in Arcibus Magno Duci nunc restitutis existentes, debent ibidem manere, atq dari.

Decim. De Machi bellicis

INSTYTUT OSSOLINSKIEGO

ecimo.

e Arce
Solmen
e Corela
olo à Sui:
o donata.

Quoniam piæ memoriæ Magnus Dux Wasili Iwanowicz Suiski permisit, et scripto confirmauit Christianæ memoriæ Carolo IX. Regnoq Sueciæ Arcem Kexholm cum suo Territorio ob sibi fideliter et sponte auxilia seu assistentiam contra Polonos præstitam, ad possidendumq perpetuis tempo: ribus eam dedit, vsumq; sic quoq hic modernus Magnus Dux Michaël Fedrowicz, in eadem Magni Ducis Wa: sili Iwanowicz donatione pro se, suis hæredibus, Successoribus Magnis Ducibus, Magno Ducatu Moscouiæ, ac totius Rus: siæ in hoc pacis contractu transacto, assecurationem fecit, confirmationemq, ita, vt prædicta Arx Kexholm, cum omnibus suis Territorijs, populis, Statibus, iuribus, terrâ ac aquâ cum omnibus iudicis, et vnitatis finibus, ac eorum distinctionibus, vnico non excepto. prout Magni Duces Rus: siæ eandem antiquitus possederunt, eaq vtebantur, debeat inposterum ad Regem Sueciæ Gustauum Adolphum, suos hæredes, ac Successores Reges Sueciæ, Regnumqz Sueciæ, sine vlla controuersia, aut prætensione iuris, perpe: tuis temporibus pertinere.

mo
.

e controuer:
finium com:
onendis.

Vt inposterum nullæ de finium diuisionibus controuersiæ ex: citentur, ideo ex vtraq parte consensum, conclusumq est, vt pro proximè futura 1a. Junij Anni 1617. Regij, et Magni Ducis Russiæ Legati, cum plena potestate, nomina: tim tres ex singulis partibus, docti, et prudentes viri, No: biles ac Secretarij expediantur, mutuoq congrediantur inter Notebürg et Lagda, ad Laua fluuium, vbi prædicta Laua in Ladunen fluuium influit, sic vt vtrâ conuenire debeant in medio pontis ab vtraq parte extruendi, supra

prædictu

prædictum fluuium Laua. Postquamq́ sibi inuicem plenam potestatem monstrarint, idoneis ac legitimi fuerint, tum debent ibidem incipere finium inter Regis, et Magni Ducis terras, positionem ac diuisionem: sic ut Noteburgen, Coperen, Jamen: ac Iwanogrodens hæreditas iustis terminis, ac finium diuisionibus distinguatur a Ladensibus, Nowogrodensibus, Somericis, et Angdauanis, Dominiys. Sic item debent eodem tempore scilicet 1a Junij proxima, alij utriusq́ Principis plenarij Commissarij, tres quoq́ à singulis partibus in finibus inter Kryholmens Dominium, Capel, Solmis, et Nowogardz Dominium, in Capel, Agnissma ad Laden, lacum conuenire, atq́ (ut de alijs dictum est) debent huius Dominij fines consuetos diuidere, prout antiquitus fuerunt, eosdemq́ definire, ac confirmare, si verò nulla memoria, seu vetustas inueniatur, iuxta rectæ regulæ iudicium constituant finium diuisionem ut eo modo occurratur omnibus controuersijs in finium differentijs. Non debent præterea hi finium Commissarij prius abinuicem discedere, quàm totum negotium finium amicè confecerint, et quicquid prædicti finium Commissarij eâ ratione transegerint, atq́ conclusserint, id debet ordinatè certo scripto mandare in charta pergamenea, sigillari, iuramento, Crucisq́ osculo confirmari ac permutari. Debent item hi fines hac ratione à finium Commissarijs tam inter Noteburg, Copaua, Jama, et Iwanogorod ex una parte; quàm altera, inter Lagda, Nowogardum Somenaua, Angdaua, ac inter Kryholmen, Dominium, Nowogardanumq́ poniti, ac descripti ab utroq́ Principe, suis hæredibus, ac successoribus Regibus Sueciæ, Russiæq́ Magnis Ducibus in hoc moderno conciliato æterno pacis contractu, perpetuis

temporibus, firmiter, at irrevocabili ratione tenere, at conser:
vare. Ad cuius rei maiorem confirmationem, debent utriqz
Principes, Rex Sueciæ et Magnus Dux Moscoviæ
in literis confirmationis ab utroq Principe super hanc pa:
cis compositionem conficiendis de hoc expresse mentionem fa:
cere, atq Rex iuramentum, Magnus Dux autem Crucis
osculum suum super hoc præstare.

13^tio. Quoniam piæ memoriæ Magnus Dux Fedro Iwanowicz, hu:
De Livonia. ius moderni Magni Ducis Michaelis Fedrowicz Parens,
in pacis compositione ad Tisinam A°. 1595. facta, omni
iure, et prætensione, ad Livoniam cessit, at Magnus Dux
Wasili Iwanowicz eidem in pacis similiter compositione
ad Viburgum. Año 1609. facta, renuntiavit, ideo in præ:
senti conclusum, atq accommodatum est, ut modernus Magnus
Dux Michaël Fedrowicz, sui hæredes, at successores
Duces perpetuis inposterum temporibus non debeant sibi
appropriare ullum ius in Livonia, multominus Magnus Dux
poterit sive moderno Regi Sueciæ Gustavo Adolpho, sive
successoribus Regibus, Regnoq Sueciæ Titulum in Livonia
Arcibusq Regi Sueciæ à Magno Duce in perpetuum
concessis at datis, adimere, sibiq attribuere, usurpare, impo:
nere, scribere, at nominare. Nec debet item Commissarijs
et Aulicis permitti, aut mandare, ut prædictæ Livoniæ, aut
concessarum Arcium Titulo in suis scriptis, verbis, colloquijs,
utantur, vel eius mentionem faciant, imò modernus Magnus
Dux, sui hæredes, at successores Magni Duces, debent semper
in suis scriptis, moderno Regi Sueciæ, suis hæredibus, at suc:
cessoribus Regibus Sueciæ debitum Titulum, in Livonia
Carelia dare. Conclusimus item nos legitimi Legati utriusqz
partis

partis, ut, quoniam inter nos in praesenti Conventu nihil ex parte
utriusq; Principis integro Titulo transactum, id est Titulo — De Tit
Regis (in Germaniae) similiter Titulo Magni Ducis, multo:
cum caeterorum Dominiorum (Dominus et victor) ideo nos
utriusq; partis Legati, totum id ad utriusq; Principis certam,
at propriam declarationem suspendimus; Et si aliquid in
perpetuum à Principibus consensum erit, quoad integrum
Titulum scribendum, ita ut Regi Sueciae placuerit à se scri:
bi Magno Duci integrum Titulum (Dominus et victor) et
à Magno Duce, Regi integrum quoq; Titulum (in Germaniae
et Curland:) tum debent ambo Principes per suos Lega:
tos singuli binas confirmationis literas mittere, unas cum
integro titulo, alteras cum brevi Titulo post nostram Transacti:
onem huius contractus. Sin verò in utrisq; confirmationis
literis noviter Regi Titulus plenus, at in Germaniae Titu:
lus: Magno quoq; Duci plenus Titulus (Victor) scriptus
fuerit, tunc debebunt utriusq; partis Legati, literas invicem
sibi monstrare, ac sic demum ad utrumq; Principem sese confer:
re; sin autem forsitan ab una parte Principum ita in id
non fuerit assensum, confirmationisq; literae post hunc contractum
cum brevi Titulo expedientur; tunc utrisq; Legati debebunt
itidem sibi invicem tales l(ite)ras monstrare, cum hisq; literis suorum
Principum ad nos Principes abire.

Transactum etiam illud est, ut commercia inter Sueciae Regnum, — 14
ac inter Ruthenicum Ducatum, ambarumq; partis subditos libe: — De commer
re ac sine impedimento celebrentur, ita ut omnes Regis Sue: — mutuis
ciae subditi Mercatores, sive qui in Finlandia, Suecia, Estonia,
sive qui Iwanogrodi, Jama, Coporia, Noteburg et Kexholmi

habitant, cuiuscunq Nationis sint illi, tam Russi quàm alij libere at sine impedimento, ubi vectigal ad cameram iuxta debitum reddiderint, possint Mosqua, Nouogardi, Pleskowiæ, Lagdæ, alijsq Ruthenicis Ciuitatibus cum Magni Ducis subditis, Mercatoribusq agere, at mercari: similiter per totam Magni Ducis Terram, Dominiaq libere, at sine impedimento mercandi causâ iter facere. Ita quoqz Consensum utrinq at conclusum est, ut omnes Magni Ducis subditi Mercatores, ex Ruthenico Ducatu Nouograden at Pleskowianis Ditionibus cæterisq Ciuitatibus, libere at sine impedimento, postquam debitum vectigal ad Cameras soluerint, agere, et mercari possint in Stokholm, Wiburg, Reiel, Napuan, cæterisq Ciuitatibus Sueciæ Finlandiæ et Liuoniæ cum Regis subditis, at Mercatoribus, similiter per Regis Regnum, Terras, et Dominia, libere, et sine impedimento quæstus et mercaturæ gratia, iter facere.

5.to. Cum antehac Regis Sueciæ Mercatores at subditi liberam mercandi Domum Nouogardi habuerint; ideo debet etiam nunc iuxta Tisinij et Wiburgi compositionem factam, permitti, at concedi, certus locus aut Camera Nouogardi, at in Ciuitatibus Mosqua, et Pleskoua, propter mercaturam exercendam. Insuper isthic liberum Diuinum Officium suæ Religionis in proprijs ædibus, camerisq peragendum, propter hanc tamen Religionem suam, nulla Ecclesia ibidem erigi potest. Pari etiam ratione Ruthenici subditi et Mercatores, cum certam Domum, liberamq pro Mercatura in Reiel antehac haberent; ideo etiam nunc iuxta Tisini et Viburgi factam concordiam, debet Ruthenicis Mercatoribus commoda

[Margin:] ...Camera ...ouogardi ... Moscua

[Margin:] ...ercitio re: ...ligionis

commoda domus, aut camera in Reiel at in Stokholm et Viburg concedi, atque liberè Diuinum officium suæ Religionis in proprijs ædibus at hypocaustis in Stokholm et Viburg exercebunt; in Reiel verò in suis Ecclesijs vti id antiquitus obtinebant, non erigendo vllum nouum delubrum eiusdem suæ Religionis gratiâ.

16to De persolutione debitorum

Si aliquibus Regis Subditis Mercatoribus debita, siue à Ducatu Rutenico sub Magni Ducis Fedro Iwanowiez prædecessoribus et Boris Fedrowiez temporibus, in Thesaurum, siue à priuatis personis Magni Ducatus pro se accepta, adhuc non sunt soluta, talibus debetur auxiliò esse, solutioque præstari. Ita etiàm si Magni Ducis subditis at Mercatoribus temporibus Joannis Tertij Regis, at Regis Caroli IX piæ memoriæ in Thesaurum, siue à priuatis personis Regni Sueciæ luculenter accepta, soluta adhuc non sunt talibus debetur auxilio esse, solutioque præstari. Vti et illud, quod sub proximè præteritæ pacis concordiæ Anno 1610. in rem Regis à Nouogrodensi, cæterisque Rutenicis Mercatoribus, at incolis, pro bellico apparatu acceptum est, solui quoque debet.

17 De libero transitu

Subditis Regis Sueciæ, tam Legatis, at Internuntijs, quàm Curieris, at Postarijs debet liber securus, at sine impedimento tam pro ipsis personis, quàm eorum bonis transitus per Magni Ducis Terras, at Dominia dari in Persiam, Turciam, aliaque loca in Dominia Magno Duci non infesta. Ne tamen sumant secum Mercatores cum eorum bonis. Ita etiàm debet Magni Ducis Legatis, Nuntijs Curieris, Postis, per Regis Sueciæ Terras at Dominia libera, tataque facultas esse (eundi et redeundi) in Romanum Regnum, Magnam Britanniam, Galliam, Hispaniam, Hollandiam

Niederlandiam, Daniam, ac alia loca Regi palam non inimica dari facultas proficiscendi, ne tamen ipsi illos Mercatores cum bonis eorum secum sumant.

18mo. Captivis remittendis

Captivi omnes cuiuscunque status, ac Nationis illi sint, debent simul atque haec pax ab utraque parte contrahetur, sine ulla cunctatione ad confinia liberè dimitti. Iÿ verò qui longinquè in Sueciam, Russiamque abducti sunt, ac cito adesse finibus non valebunt, debent citra ullam detentionem, ac dolum pro prima die Juniÿ Anno 1617. ab utraque parte ad fines inter Neteburg, ac inter Lagda ad flumen Lava adduci, ac inde dari, Iis autem qui ultro ad eam, sive ad illam partem manere, et servire volent, liberum esto.

19mo. De subditis non abducendis

Russi sive aliÿ populi, tam qui Arces ac Civitates, quam qui Terras, attinentiaque Dominia, Regi à Magno Duce hæreditatis vigore concessa, ac qui reliquas Civitates, quae antehac ad Regem pertinuerunt, inhabitant non debent à Magni Ducis populis fraudulentis verbis inde abstrahi. Uti è converso Russici populi Magni Ducis Civitatum, Terrarum, ac Dominiorum Incolæ à Regis Sueciæ populis.

20mo. De extradendis facinorosis

Quisquis ob homicidium, proditionem, furtum, aliaque eiusmodi maleficia ab una parte ad aliam transfugerit, sive Rutenus, sive alius Nationis ille ad partis (à qua transfugerit) instantiam, sine offensione, ac mora, cum eo quod furatus fuerit, rapuerit, aut secum sumpserit, rursus extradi debet.

21mo. De persequendis raptoribus et occisoribus

Commissariÿ Regis et Commissariÿ Magni Ducis obligati erunt in Arcibus finium ad diligenter et seriò persequendos, et extirpandos singuli in suorum Principum Jurisdictione ac Terris, raptores ac occisores ubicunque reperiendos. Si autem accidat, ut aliqui Magni Ducis subditi rebelles coëant in unum

at conspirent.

ac conspirent in damnum Regis Terrarum, eiusmodi facinoro-
sos persequendi habebit potestatem Magnus Dux, ac sine cle-
mentiæ spe in eos animaduertendi, simulq Regijs subditis
damnum inde illis illatum debito modo resarciendi atq sol-
uendi. Vti etiam è conuerso si Regis Subditi in Magni
Ducis Terris, Subditos, et Terras damno aliquo affece-
rint, ij debent pariter sine ulla indulgentia pro merito pu-
niri, damnaq euidentia pro debita inquisitione compensari,
ac solui.

22 De controuersijs tempore pacis intercedentibus

Si posthac forsitan offensiones aliquæ aut grauamina inter utramq partem intercedent, non debet eo ipso pax hæc infringi, aut rumpi, sed partis quæ aggrauatam se cognoscet Commissarius alterius partis Commissario ad proximas finium Arces ubi hæc contigerit, id referet. tum postea ad ipsos fines unà se sistent ad eiusmodi controuersias auditum, amicabiliterq concordatum. Si verò negotium grauioris ponderis erit, ut à prædictis iudicari non posit, id ad utriusq Principis Legatorum Conuentum differendum erit.

23tio Pacta Tisinensia

Pacta conuenta Tisini Anno 1595. debent in suo robore manere ac per præsentes censuari, confirmari, ac ratificari in pluribus punctis, ac Articulis excepto eo, quod hic expresse mutatum, aliaq ratione transactum definitumq est.

24to Pacta Viburgensia

Transactio quoq perpetuæ pacis Anno 1609. in Viburg inter Regem Carolum IX et inter Magnum Ducem Vasili Iwanowicz facta, debet per præsentes in suo vigoroso robore manere inquantum cessionem Liuoniâ ac Kexholm æternamq pacem concernit.

25to De non infestandis Provincijs Arcibus

In hoc æternæ pacis contractu, debent utriusq Principis Terræ, Dominia, Subditiq includi, ita ut nulli prædictorum Principum fas sit clam aut palam aliquid moliri tam con. Regis et Suecorum Regnum, quàm con. Magni Ducis et Russiæ Dominia

Terras, Arces, at Subditos. Non debet præterea Rex sui hæredes et Successores Reges, tam per se, quam per alios quidquam inferre nocui Ruthenico Imperio præcipuè Nouogardianæ Ciuitati at Arci, Starussa Pleskoua, Ciuitati et Arci Porchouiez, Andgaua, Lagdæ, Pissinæ, Solasceni Monasterio, Somæ, et Kolæ, Oppidis, coramq Feudis, Colmogorod Arci et toti Diuinisendi Terræ, vnâ cum Leppensibus Parochijs ad Russiâ spectantibus, Cargapol, et toti Cargapolen Terræ, Mologæa, et cæteris Arcibus, Terris, Territorijs, at subditis, nocere, aut nocendi dare potestatem. neq aduersus hæc dolos, machinationesq struere: Multominus poterit permittere, aut committere Magnus Dux sui hæredes, at Successores Duces et aliquid mali inferatur, aut inferri patiatur Regni, eiusq Regni Terris at Dominijs, tam per se quam per alios. imò obligabitur Magnus Dux ad nihil moliendum aut id permittendum con Viburgum Reicl, Naeffra, Neijslodt: in Iwanogorod, Iama, Coporia, Neteburg, Kexholm, Neiszlos, Darastadhaus, Caianaburg, Vlaburg, ac Coperenses Parœcias ad Regnum Sueciæ pertinentes, at cæteras suæ Mtis Terras, Ciuitates et Arces vnâ cum pertinen hæreditatibus, Subditisq neq eos oppugnari, neq quidquam mali inferri curabit, sed ab vtraq parte ad inuicem omne bonum procurare, at illud quicquid ad amicitiam conducit sincere facere.

16to Confirmatio Pacis illius iuramento Lastaq vtrinq.

Conclusu at Transactum etiam illud est, vt vtriusq Principis Legati pro proxima die 1a Junij, vnâ conueniant inter Neteburg et Lagda in ipsis finibus iustis ad Laua fluuium, ibidemq singuli monstrent inuicem, at perlegant huius pacis compositione, scilicet Regis Sueciæ Legati curabunt, à Magni Ducis Legatis monstrari et perlegi Regis Sueciæ confirmationis lrãs supra omnia puncta integrè de verbo ad verbum cum Regis manu et secreto, prout ibidem sonabunt, at scripta erunt, sine vllo peruerso dolo. Similiter etiam Magni Ducis Legati curabunt monstrari, et legi à Regis Legatis Magni Ducis confirmationis lrãs cum Magni Ducis

Ducatus

Ducatus Secreto, ac Sigillo cum omnibus punctis recte positis isthic sine
ulla mutatione in verbis ac sensu, et sine ullo perverso dolo. Deinde de:
bebunt utriusq. Principis Legati post has confirmationis lras lectas, mu:
tuas abinvicem copias sumere, singuliq. sua originalia dare, postremo
postquam confirmonis hæ lrae rectæ et iusto consentaneæ inuenientur,
Regis Legati simul cum Regis lris confirmonis Mosqua contendent,
debebitq. in Regis Legatorũ præsentia Magnus Dux iuxta sui Ma:
gni Ducatus usu et more osculo Crucis, suæq. animæ conscientia confirma:
re hanc æternã pacem, iuxta contenta Contractus inter nos utrosq.
plenarios Legatos hic initi. Similr iuxta Confirmonis tenore ad Sue:
ciæ Regem Magnus Dux hunc cum suo Legato pro prxa Ia die Junij
Ani præsen. 1617. expediet. Item Magni Ducis osculum Crucis,
Scripto conscri debet, et post Magni Ducis iuxta hoc scriptũ crucis osculũ
præstitũ appendetur inferius Secretũ Ducatus, Regijsq. Legatis dabitur.
Magni Ducis Legati similr quoq. eius rei grã ad Regem Sueciæ
venient, cum Magni Ducis Confirmonis lris, ubi debebit Rex secundũ
Regale usũ, et consuetudine iuramento sup. S. Euangeliũ in Magni
Ducis Legatorũ præsentia confirmare hanc æternã pacem,
iuxta contenta contractus ab utrisq. Legatis initi, atq. Confirmonis con:
tenta à Rege Sueciæ Magno Duci in Mosquã pro proxe Ia Junij
A. 1617. mittendæ. Juramentũ hoc Regis scripto etiã conscribetur et
post præstitũ hoc iuramentũ super S. Euangeliũ, secundũ scripturã præsti:
tum, debebit illud sua propria Regali manu subscribere, Regni Se:
creto consignare, ac Magni Ducis Legatis dare.

27.mo De Legatorum utrinsq. commeatu securo transitu

Legati Regij, qui tam propter Confirmonem præsen. pacis Contractus, quam
propter alias causas in futurũ mittentur, debebunt à Magni Ducis Com:
missarijs cum debito Convoi in finibus honeste et competenter excipi,
atq. secure Mosquã versus deduci, rursusq. hinc ad fines reduci ita
ut nec in via, nec in Civitatibus Moscouiticis ullo opprobrio, aut ludibrio
a Magni Ducis populo, Subditisq. afficiantur. Sic quoq. Magni Ducis
Legatos qui tam propter Confirmonem huius Pacis contractus quam propter
alias res ad Regem Sueciæ in futurũ mittentur, Regis Commissarij

ho veste et competenter excipient, secure Stokholmum versus deducent, rursumq inde ad fines reducent nulloq ludibrio, atq iniuria à Regis populo, Subditisq affici sinent.

28^uo^ De Interpre: liberò transitu
Interpretes quia a Regis obsequio sunt, atq ante in Russicis Dominijs servierunt, cum à Rege ad Magnum Ducem, aliosqz externos Principes atq Domina, sive cum Legatis, sive sine Legatis, mittentur, liberè, securè, et sine impedimento in Sueciâ iter suum facient. Similr. et Interpretes qui nunc in Magni Ducis servitio sunt anteaq servierunt in Suecia, cum à Magno Duce ad Regem sive per Sueciâ ad cæteros Principes ac Domina cum Legatis ac sine Legatis mittentur, liberè, securè et sine ullo periculo ac detentione rursu in Russiâ proficiscendi habebunt potestatem.

29no De casu mortis Principum
Conclusu item est, ut, si voluntate DEI, ac permissu mutatio aliqua in Sueciâ, aut in Russia evenerit, debeat Princeps, qui nuper in regimen successerit ante omnia, alteru per suos Legatos visitare, atq ad amicitiâ invitare, tum deinde alter eundem visitare, illudq spondere, ac promittere.

30mo De loco Legatorú utriusqz partis.
Si etiam accidat ut utriusq partis Principes Legatos suos in posterum adinuicem mittant in certis caussis, tunc utriq ij debebunt in finibus inter Iwanogorod et Augdava, ac inter Keteburg et Lagda, prout utriq parti commodissimum ac optimu videbitur, inter ìustos finium terminos sine ulla altercatione, simul convenire, de ijsqz rebus, quaru Commissione à suis Principibus, ac Mandatu habebut, amice tractare, ac transigere.

31mo De casu Naviu conquassatarum
Item si contingat ut Regis Subditoru ac Mercatoru Naves cuiuscunqz generis, cum Mercibus bonisq sive Mercatoru, sive alijs quibuscunqz ad Terras, quæ Magnus Dux ad Lagdensem, Peipensemq Lacum habet, conquassatæ allidantur; tunc ijs cum suis omnibus bonis, sive ca ipsi recuperabut, sive recuperari facient, potestas esto, hinc abscedendi sine impedimento, Magniq Ducis populus iuvabit eos in huiusmodi conquassatis, allisisq bonis recuperandis. Pariter etiam si contingat

tingat ut Magni Ducis Subditorum quaecunque Naues versus Reiel, Noteburg, ac reliquas Ciuitates, tendentes in Sueciam, Finlandiam, et Liuoniam, atque etiam Naues in quibus Magni Ducis Legati, Internuntij, Curieri, ac Postae fuerint, atque ierint ad Imperatorem Papam Romanum, Magnam Britanniam, aliaque Dominia per Sueciae Regnum, rursumque redierint, ac tum in parte Suetica in salis mari, aut Lagdenti lacu ob tempestatem aliasque circumstantias conquassentur, ejusmodi hominibus liberum sit, potestasque libere ac sine impedimento, se inde abducendi, cum omnibus suis bonis, quaecunque recuperabunt, curabuntque recuperari, atque Regis populus in his conquassatis bonis recuperandis eos iuuare debebit.

31^a De auxi[lio] Regi Pol[oniae] et Vladis[lao] Filio non pr[ae]standis

Definitum item ac Transactum est, ut Rex Sueciae aduersus Magnum Ducem, Magnumque Ducatum vniuersum non possit dare auxilia Regi Poloniae ac Lithuaniae, Filio eius Vladislao et Regno Poloniae, ac Ducatui Lithuaniae, neque illis Poloniae ac Lithuaniae Dominijs, idque tam per Exercitus suppeditationem, quam ipso facto, nec per vllum virum, nec per seipsum, aliosque externos Principes poterit quidquam machinari aduersus Magnum Ducem ac Russiam, nec Terram illam, Arcemque quae ad Magnum Ducem spectat, occupabit, possidebit ac detinebit. Sic etiam Magnus Dux non debet contra Regem Sueciae Regnumque auxiliari Regi Poloniae, ac Ducatui Lithuaniae, vniuersis Poloniae et Lithuaniae Dominijs, siue exercitu, siue pecunia. Multominus per se ac per aliorum externorum Principum machinationes contra Regem Regnumque Sueciae poterit Terram, aut Arcem quae Regis et Regni Sueciae antiquitus sit, ac quicquid Regi vigore huius Contractus à Magno Duce donatum, ac concessum est, sibi subijcere, occupare ac possidere.

33^tu De liga Regnum [Po]loniae

Conclusum denique ac Transactum inter nos est ut Legati quos Rex Sueciae propter confirmationem huius pacis Contractus mittet, habeant plenam potestatem ad Confoederationem (alias Ligam) inter vtrosque hos Principes Magnos faciendi aduersus Regem Sigismundum ac Regnum Poloniae Ducatumque Lithuaniae cum conditionibus

eiusmodi, quas utriq; Principes suæ rei commodissimas, suoq;
proposito opportunas iudicauerint.

De obseruatione Pactorum conuentorum

Ad certiorem ac firmiorem cautionem ut scilicet quicquid inter nos prædictorum Principum Regis et Magni Ducis plenarios Commissarios in prædicti Magni Regis Britanniæ Legati præsentia eiusq; Mediatione definitum, contractum, ac transactum est, id totum à Sr.mo Clement.mo etiam Rege Sueciæ, suis Regiis hæredibus, Successoribusq; Regibus Sueciæ fideliter, firmiter, irretractabiliter in suis omnibus punctis ac clausulis sine peruerso dolo ac periculo, teneatur, ac conseruetur. Nos prædicti Regii plenarii Commissarii confirmauimus hunc pacis Contractum nostro iuramento supra S. Euangelium, ac iuxta potestatem ad hoc Nobis datam, nostris solitis sigillis consignauimus. Utriquoq; Magni Regis Britanniæ Legatū prædictum D. Joannem Mericum requisiuimus, ac rogauimus, ut ipse quoq; nomine prædicti Magni Regis Britanniæ tanquam Mediatoris, ad memoriam huius quod hîc transactum est nobiscum subscribere, ac sigillum ponere vellet.

Ad extremam Nos Regis Sueciæ Legati, literas nostras confecti huius Contractus dedimus plenariis Legatis Magni Ducis, prout et apud iidem Legati suas quoq; literas Contractus huius Nobis dederunt.

Scriptum et Actū est in Stalbaua
die 27 February Anno 1617.

Et ex Germanico in latinum Translatum
cum iretur in Moscouiam ad Tractatus.
per me P. S. S.

INSTYTUT OSSOLIŃSKICH

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :

DIGITAL – CENTER

ul. Krzemowa 1
62-002 Suchy Las
www.digital-center.pl
biuro@digital-center.pl
tel./fax (0-61) 665 82 72
tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.
Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.